

& minus non mutant speciem. Et periculum esset ne multò sapius fierent Hermaphroditi quam fiunt; cum natura uno & eodem modo agat. Si enim non obstante mixtione utriusque feminis ex masculino femine necessitate naturæ resultat corpus masculinum, & fœmininum in fœminino; Sequetur corpus ex utroque compositum, semper aliquid tum masculinæ tum fœmininæ naturæ representare, licet de una magis, de altera minus, quod etiam in Hermaphroditis fit; alias alterutrum semen esset frustraneum, quod non admittit natura; sequitur ergò pro materia cedere cuiq; sexui semen sexus ejusdem proprium.

§. 3. Sed audiemus, quibus argumentis fulminet in hanc sententiam Watsonius: *Nisi, inquit, de generatione humana prolis loqueretur, excusari posset,* [Novit scilicet dari exempla generationis in natura, ubi ex sola fœmina, sine masculino, fœtus nascatur, licet in homine juxta communem naturæ cursum ita fieri creator pro sua sapientia & beneplacito noluerit] *jam verò ponit plura absurda, 1. Fœminis propriè dictum semen assignat, papæ! quare hoc absurdum? quia Aristoteles non habet? Habent autem alii, quibus multò inferior est Watsonius, quam ut absurda iis tam facile impingat. Deprehenduntur certè in fœminis organa seminalia, materia seminali plena, cui etsi nonnullos alium usum assignare non ignoro: quia tamen proprium usum feminis propriè dicti alii rei commodè assignare non possumus, non video cur huic denegemus. Et hinc omnino videtur ortus error hic Aristotelis, quod receptacula feminis seu testes in mulieribus [quòd Anatomix non esset deditus] ignoraverit, ut colligitur ex lib. 1. de Gen. animal. cap. 2. paullo ultra medium. & 3. in medio. Histor. animal. lib. 1. cap. 17. in fine. Sed pergit, 2. tollit maris necessitatem in productione prolis fœminæ & matrem frustraneam estimat ut generetur puer. Ridiculum caput! quasi frustraneum esset quod hunc usum non habet, quem Watsonius sibi imaginatur. Sufficit matrem locum, fomenta & alimenta suppeditare masculino æque ac fœminino fœtui. Et sufficit semen masculinum in generatione fœminæ semen fœmininum prolectare & vi genitali perfundere, adeoque adesse quidem, non tamen materiæ, sed efficientis vices ex sua parte sustinere. Eodem sale perfricandum est, quod porro ait: 3. Possit, inquit, hoc modo virgo natura parere, [nisi scilicet semen fœmininum in homine ita esset creatum, ut masculi concursu quoquo modo ordina-*

dina.